

SUBGENUS III HOLOTHURIA.

Pulmonibus instructae; discrimine inter dorsum et ventrem, et corpore nunquam perfecte cylindrico intervallum quod Pentactis et Molluscis interest, quodammodo exipientes.

TRIBUS 1. MÜLLERIA.

Dorso convexo, ventre planiore, cuti coriacea. Tentaculis 20 peltatis, duplici dispositis serie. Anus dentibus quinque armatus est, qui musculorum longitudinalium insertioni inserviunt.

Besel primus esse videtur, qui has ano dentato paradoxas species in Europam misit an. 1833.

Fleming Holothuriae peruvianaee Mülleriaee nomen dedit, quod tamen cum nemo imitatus sit, mihi hisce novis speciebus hoc nomen tribuere licere cenſeo.

Sp. 2. *Lecanora*. Collect. Schoenl.

Pedis unius longitudinem assequi posse videtur. Subcylindrica, ventre planiore, dorso convexiore. Extremitas anterior paululum attenuata est. Pedes in dorso quam in ventre rariores. Venter albidocinereus, maculis et annulis inprimis pedum basin circumdantibus fusco-cinereis ornatus. Lineolae fusconigridae, quadratim dispositae in lateribus conspiciuntur. Dorsum colore coffeae intense fusco obscure maculato gaudet. Circa anum autem etiam in dorso color ventris et laterum conspicitur. Quae dorsi colorem a ventris colore separat linea, multifariam angulosa, nonnullarum exprimit Lecidearum formas. In dorso maculae, circumscriptae Lecidearum item imitatae formas conspiciuntur, irregulariter angulosae, laterum albo et tessellato ornatae colore. Hinc inde una harum tessellarum, in primis ubi pedes proveniunt, tota nigro-fuseo expleta est colore, quod Lecanorae geographicae, atróal-hae, aliarumve imaginem refert, unde mihi nomen. Os anticum, tentaculis 20 in duplici serie positis, peltatis ornatum, paululum inferum. Anus paululum superus.

Ex insula Celebes.

Figurarum explicatio.

T. I.

- F. 1. *Synapta Beselii*. Magn. nat.
- F. 2. Eiusdem: a) Intestinum. b) Ovaria. c) Annulus cartilagineus. d) Musculi longitudinales. e) Vasa locomotoria.
- F. 3. *Pes eiusdem anchoriformis*. Longit. nat. $\frac{1}{3}$ lin.
- F. 4. Ovaria eiusdem sub micr.

T. II.

- F. 1. *Bohadschia argus* pedibus retractis. 1. b. Anus eiusdem stellatus.
- F. 2. *Mülleria lecanora*, pedibus retractis. 2. b. Anus eiusdem dentibus armatus. (Magn. ubique nat.)

T. III.

- F. 1. *Trepang ananas*. a) Tentacula. (Magn. nat.)
- F. 2. *Holothuriae atrae* a tergo apertae viscerum pars anterior. (Magn. nat.) a) Ventriculus. b) Annulus glandularum hepatis analogus. c) Ductus humoris locomotorii. d) Vesicae locomotoriae. e) Testiculi. f) Ovariorum pars. g) Pulmonis intestinalis ramuli nonnulli. h) Iidem inflati. i) Intestinum.
- F. 3. Musculorum longitudinalium par unum *Mülleriae echinitis*. a) Vas longitudinale locomotorium. b) Dens analis.
- F. 4. *Bohadschiae argi* ovariorum pars. (Magn. nat.)
- F. 5. Eiusdem ovaria sub microsc.
- F. 6. *Mülleriae echinitis* ovaria sub microsc.
- F. 7. *Holothuriae fuscocinereae* testiculus sub microsc.
- F. 8. *Mülleriae lecanorae* pulmo intestinalis sub microsc.
- F. 9. *Bohadschia marmorata* a dorso aperta. a) prima, b) secunda, c) tertia intestini pars. d) Cloaca. e) Pulmo locomotorius. f) Pulmo intestinalis. g) Appendices bronchi renibus fortasse analogae. h) Anus stellatus.
- F. 10. *Bohadschiae marmoratae* appendix bronchialis inflata.



